

## C A P V T I X.

35

Iouis primum, dein Saturni, & demum Mercurij tranquilitas & constantia morum est à paucitate planorum: Veneris & Martis turbulentia & levitas à multitudine. Varium & mutabile semper fœmina. Et figura Veneris omnium maximè varia & volubilis. Atque hi gradus sunt.

Vnde medius Mercurius, media fides Mercurij versatile & celer ingenium refert Octaedri mobilitas. Nam si super duos angulos voluas, quatuor continua latera per medium figuræ directum iter transeunt. Cæteras figuræ, quomodo unque voluas, videbis per medium transuersa & impedita incedere latera.

Mars multis lateribus pauciora plana efficit, Venus totidem lateribus plura plana: Martis etiam multi conatus irriti sunt: Venus conatibus illi par, prospere tamen vtitur fortuna. Nec id mirum esse debet. Facilius enim choreæ instituuntur quam bella, & par erat, citius ad finem peruenire amores, quam iras: quia hæ permunt homines, illi gignunt. Eodem pacto Mercurius Saturno felicior est.

## C A P V T X.

*De origine numerorum nobilium.*

**N**FINITVM est singula persequi: neque sine fructu de his Astrologus amplius cogitet. Videamus modò Astronomorum Arithmeticam, facrosq; eorum numeros, 6. 12. 60. Igitur excepto quadrante & sextante, sc. 15, 10. omnes sexagenarij partes multiplices reperiuntur in his quinque corporibus. Vicissim exceptis angulis planis Octaedri & cubi, quorum uterque habet 24: Cætera omnia, quæ numerantur, sunt pars multiplex sexagenarij: vt existimem viii vlli numero posse ne à Pythagora quidem ullam rem naturalem assignari, quæ illi magis sit propria, quam hic numerus est dictis quinque corporibus.

Vnus est Cubus, Vna pyramis, Vnum Dodecaedron, Vnum Icosaedron, Vnum Octaedron, Vnum solitarium sine simili.

Duo corpora secundaria; Duo ordines corporum; Bina semper sibi similia; Duæ eiusmodi similitudines.

E 3

Tres